12.

AD ILLVSTRISS. VIRVM PETRVM GRITTVM VERONAE PRAETOREM.



VERONAE,
Typis Hieronymi Diſcipuli.
1589.

EIA Pierides Gorgonei iugi
Cultrices, hedera quas iuuat undiq;
Excerpta nitidis addere gloriam,
Vel lauro uiridi, comis;
Ceſſatum ſatis eſt, & ſatis otio
Languentem caries Aoniam lyram
Turpauit miſero; ſegnitiem malam
Nunc ò linquite ſedulæ.
Quid non incipitis carmine pandere
Iam Gritti eximij tergeminum decus
Partum, dum populis iura dat integra,
Quos leni imperio regit?
Quid non incipitis tollere Leſbia
Iam Grittum cithara ſemideùm genus,
Virtute at propria conſpicuum magis,
Factis atque celebribus?
Teſtis, quam vitreo flumine perluit,
Vrbs, velox Atheſis, cui rabida fame
Victæ, dum mouet heu funera triſtia
Mors, ſæuasq; parat minax
Falces, hic quoties diuitijs ſuis
Præſens auxilium contulit, & pius
Inſontes inopes iam ſibi creditos
Crudeli eripuit neci?

Teſtis vinctus Hymen tempora myrteis
Sertis, qui thalamos (ah nimis inſolens)
Tantùm nobilium viſere principum
Gaudebat prius aureos;
Aſt nunc virginibus carmina dicere &
Geſtit, quas humilis pauperies premit,
Nec ingens decorat fulgor imaginum
Antiqui generis patrum.
Moles Amphitheatri generoſaq;
Teſtis, quam pario marmore fulgidam
Mœrens obſtupuit iam Babylonius,
Vidit Romaq; condolens;
Hanc cum progenies barbara dirutam,
Heu valde Eumenidum percita noxijs
Liquiſſet furijs, puluere & obrutam,
Conſumptamquè truci face,
Ecce arcus reparans marmoribus nouis,
Proſtratoſq; gradus, mœniaq; ardua;
Magnus reſtituit, gaudeat enitens
Vt forma hæc ſibi priſtina.
Sed quis Iuſtitiæ præcipuas canat
Laudes? quis valeat dicere, protinus
Aeſtus vtque animi ſternere turbidos
Poßit, ſurgere ſi feri

Tentent?

Tentent? quæ pietas? candida quæ fides?
Quænam relligio condecoret ſacra?
Hunc ergo vnanimes pectine eburneo, &
Dignum tollite nablijs.
Vt quicquid pelagus fluctibus alluit,
Quicquid ſol oriens lucidus aſpicit
Gritti concelebret perpetuum decus
Dilecti altiſono Ioui.
Heros interea nobilis, inclytæ
Splendorquè Auſoniæ, curaquè non leuis
Magnorum Superum, ne numeros precor
Vatis deſpicias tui.

QVIS te non, veluti elapſum cœleſtibus oris,
Vt me ſeruares, maxime Gritte, colat?
Eſuries vexabat atrox mea pignora, pauper
Implebat querulis compita cuncta ſonis.
Fugerat & terras Themidos generoſa propago
Inuiſas ſuperum digna recepta choris.

Hanc

Hanc mihi tu reddis, per te ſibi lurida vires
Ingemit ereptas mortis alumna fames.
Quare ego, quas potero grates tibi ſoluere dignas,
Qui mihi Iuſtitiam, qui Cereremq́; refers?

Stant geminæ hìc Diuæ, reliquas illa aduocat oẽs,
Orbem alit hæc, prætor Grittus vtramq; colit.
Illa pares habuit lances, hæc horrea plena,
Vtraque Veronæ commoda multa tulit.
Grittus habet meritò gratis à ciuibus ergo
Hoc ſibi, quod geminæ, nobile ſtemma, tenent.

Fœmina, virque tibi, omnes omni ex ordine ciues,
Gritte boni acceptũ quicquid habent referunt.
Iuſtitiam, pacem, Cereremq́;, & ſtragula, dotes,
Muneraq́;, & ludos, Amphitheatra, vias.
Omnia tu hæc tribuis, quæ multi ſingula, at vnus,
Quod pauci, hìc, tecum non abitura, locas.

Quæ prius exul eram, Gritto deducta, reuiſi
Nunc terram, lances dum regit ille pares.

Quod

Quod ſi aliqui rurſum eijciet (procul omen abeſto)
Hoc duce ſidereas ſum reditura domos.
At, quæ nos ſequitur, fractis malè legibus, ipſa
Quas dedit, eripiet ſpicea dona, Ceres.

Illuſtriſs. D. Tuæ

Deditiſs.

Petrusfranciſcus Toccolus Veron.